

Alte Drucke

**Rerum praeclare || GESTARVM, INTRA, ET EX-||TRA MOENIA
MVNITISSIMAE CI-||uitatis Viennensis, pedestri & equestri ||
proelio, terra & aqua, elapso ...**

Wien, 1561

VD16 ZV 27208

Quo pacto AgonotheTAE CVPIDINEM SVSPENDI VOLVERINT, QVI POSTEA
tamen intercedente Gynecaeo vita donatus est, & alijs quibusdam lectu non
iniucundis.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-149595

Promiscui decursus bre-

VIS EXPLICATIO.



Aucis candidi lectores, pro ingenij mei tenuitate verè tamen decursum equitum descripsi, in quo (quemadmodum satis commodè & exactè percœpistis) ostendi omnes, qui in catadromum descendèrant, tam illi, qui auitæ nobilitatis clari, quàm isti, qui rebus præclarè gestis, nobilitatem meruere, strenuè fortiterq; decertasse, adeò, vt omnium nobilium calculo approbarentur. Quare his omisissis, ordine omnia literis mandans paucis referam, quo pacto sese in communi decursu gesserint. Postremò itaq; Martiales equites bipartiti, duo circi latera occuparunt: hi dextrum, illi sinistrum, datoq; signo promiscuè decurrere coeperunt, qui quidem conflictus aliquandiu durauit, tamq; atrox ac pertinax fuit, vt ruptarum lancearum fragmenta nonnulla (stupesco referens) sydera cōtigerint, nonnulla hinc atq; illinc magno cum astantium periculo volarint, quæ quidem res non umbratilis pugnae, sed cruenti cuiusdam belli speciem præ se ferebat.

Quo pacto Agonothe-

TÆ CVPIDINEM SVSPEN-

DI VOLVERINT, QVI POSTEA

tamen intercedente Gynecæo vita do-

natus est, & alijs quibusdam

lectu non iniucundis.



Adenus quàm fieri potuit breuissimè gymnica certamina descripsi: Nunc proximum est, vt illa, quæ ludos consecuta sunt, eadem breuitate perstringam. Sciendum itaq; est, Agonotheras

M ij

Cupidi-

Cupidinem in summum tabellatorum cacumen euexisse (cuius rei etiam paulò antè à me facta est mentio) vnà cum tortore, qui palestricæ apud iudices nulla pietate aut misericordia moti, vt Cupido in crucem adigeretur, subinde incondito clamore vociferabantur, ac exclamabant. O licitor, in crucem agito Cupidinē quibus refragentes Agonistæ, occlamitabant. Nequaquam, sed dimittatur, non enim amoris Deus, quem omnes fouere ac nutrire deberent meruit, vt laqueo vitam finiat, qui iterantes voces, tam inconditis vociferationibus ferè ad insaniam tortorū adegissent. Illi, cum clamandi modum non facerent, tandem licitor in hos prorupit sermones. Vos quidem, nobilissimi Domini, aures mihi obtunditis barbaro clamore, dum suspende suspende Cupidinem exclamatis. At nemo vestrum est qui dicat, Hem bone vir, cape hanc lagenam, & affatim te vino exple: nam siti ferè, ac si dipsas me momordisset, enecor. Sedatis his clamoribus, Agonistæ virum quendam summo loco natum in gynecæum Regiū mittunt, vt is causam Cupidinis agat, simulq; puellas roget, vt ab Agonothetis sibi dari Cupidinem postulent. Qua re peracta, confestim purpuratus ille nomine gynecæi ad Dominos palestritas mittitur, in mandatis habens, vt ab ipsis Cupidinem exoraret, quod quidem Agonothetæ primum prorsus recusarunt, & paulò post oratorem ad gynecæum remiserunt, iniungentes illi, vt gynecæo referret, frustra ab eo Cupidinem infamem & prorsus omni ratione carentem peti, qui suis relis nec Ioui, tantum abest vt mortalibus parcat. Gynecæum cum hæc non absq; summa animi perturbatione intellexisset, subiungit, si quid puer ille alatus peccet, id magis ætati innoxia, quàm suis vitijs esse ascribendum. Agonothetæ tandem victi precibus pulcherrimarum (quæ vel Deos suo aspectu flectere in quemcunq; animi habitū potuissent) virginum, illis Cupidinem dono mittunt, quem sublatum (peracta iam omni re ex animi sententia) in equum nobilis quidam ad aulam Regiam sine mora deduxit, ac gynecæo obtulit. Cupidine iam abducto sclopetarius quidam, qui eiaculandis tormentis præerat, tabulata illa altissima conscendit, & igni, quem missilem vocant, incenso mira industria ac arte composito, varios flammarum globos

rum globos in aerem, ad sydera vsq; torquebat. Hoc genus artificiosissimæ eiaculationis propè crucem extructum cernebatur, ubi & duæ turres papyraceæ iustæ magnitudinis, in hoc præcipuè erant erectæ, vt emittendis ignitis iaculis, alijsq; ad pascendos oculos accommodis veluti propugnaculum essent, è quibus etiam fusos quosdam succenso igni vltra mille conuolutos puluere tormentario ad conuexa euoluebant, hi in area tam horribilem fragorem excitauere, vt vix aliquis loco suo consistere potuerit. His iam omnibus finitis, vnusquisq; in suam stationem rediens, domum quo venerat ordine reperijt.

Splendidissima Cœna, A MAXIMILIANO BOÆMIÆ

REGE EXHIBITA.



VB noctem, Serenissimus potentissimuscq; Boæmiæ Rex Maximilianus &c. opiparanti cœnam, quam dubiam iure appellare possimus, apparare iussit. Mensæ eò, quò antea relatum est, ordine omnes accubuere. Cæterum Gynecæum vt paulò superius commemorauì, in magnifica illa domo ducendis choreis in arcis propugnaculo extructa subsistit, vt cœnæ interfit, quæ ex varijs ijsdemq; exquisitissimis ferculorum generibus instructa, imò eo ordine ac apparatu elaborata erat, vt ingenuè fatear, me talem vix vnquam vidisse. Quanquàm & ego (vt citrà arrogantiam dixerim) non vnâ aut alterâ, sed innumeras viderim. Nam etsi Austria opima & fertilissima sit Regio, omnibus ijs, quæ ad cõmunem hominũ vsum excogitari possunt abundans, tamen Maximilianus potentissimus Boæmiæ Rex &c. pro sua innata munificentia ergò optimos quoscq; non contentus patrijs ferculis, ex varijs & peregrinis regionibus quàm plurima ciborũ genera recepit, quæ ni magis ex schola Apitia, quàm collegio fecialium viderentur profecta, hic ordine recenserem. Interim tamẽ me cohibere nō possum, quin illud proferã, quod accubente iam Rege cum cæteris Principibus fratribus, sororibusq; hæc omnia ciborum genera, sapidissimis succorũ multiugis condimentis suffusa,

M iij

ab